

05 H 912



REC

D

LA

MA

PH

E

M.S.



L. D. B. V.

DISSERTATIONEM PHYSICAM
AVSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS REGII

DOMINI

DN. FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS

ETC. ETC.

AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORVM

CONNIVENTE

DE

VARIIS CORPORIBVS
PETREFACTIS

ERVDITORVM ZHTHZEI

P. E. E.

PRAESES

M. SAM. FRIDERICVS BVCHER

ET RESPONDENS

MARTINVS Gottlob BVCHER

S. S. THEOL. STVD.

FRATRES GERMANI

VTERQVE

RENGERSD. AD GORLICIVM LVSAT.

DIE X. AVGVSTI A. R. S. MDCCXV.

VITEMBERGAE IN SAXONIBVS

LITERIS HORNIANIS.

D I S S E R T A T I O N E M P H Y S I C A M

A V E R S I C I S

S E R V I S S I M I S P R I N C I P I S R E G I S

D O M I N I

D N F R I D R I C H A N G E L S T A D T

L E C T O R A T V S S A X O N I C I H E R E D I S

E T C E T C

A M P L I S S I M O O R D I N E P H I L O S O P H O R V M

C O N V I V E N T E

E T

V A R I I S C O R P O R I B V S

P E T R E F A C T I S

E R V D I T O R V M E R S T A D T

P E T

F R A N K E

M S A M F R I D R I C H V S B A C H E R

E T A L I I

M A R T I N V S G O T T L O B B A C H E R

E T T H E O L O G V S

T R A C T A T V S G E R M A N I

V T R A C T V S

P R I N C I P I A A D G O S P I C I A M E R A T

A D S A X O N I C A M A C A D E M I A M

A T T E N T I O N E M P R I N C I P I S

C I V I T A T I S H O R T E M A G I





Xpono, quam promisi, de VARIIS
CORPORIBVS PETREFACTIS,
Dissertationem, non inuidis oculis, ue-
rum aequis rerum aestimatoribus. V-
bi deflexerim, ueniam dabit beneuo-
lus lector, haud nescius, tantum sibi a-
iuuene uix polliceri posse, quantum
ad singulorum recreationem sufficiat. Methodus, qua in-
sistam, facillima erit. Praeuentibus enim quibusdam Apho-
rismis, praecipua percontabor, cetera, cum fusius de CON-
CRETIONE et ACCRETIONE dederim excussa, uel le-
uiter tacturus, uel plane taciturus. Faxit DEVS feliciter!

Aphorismus I.

*Corpora temporis diuturnitate Lapidis instar concreta,
sunt Corpora naturalia a Deo producta.*

§. 1. Dicuntur Corpora naturalia, ut se distinguant a Cor-
poribus supernaturalibus, praeternaturalibus, aliisque plu-
ribus. Vulgo fossilia nominantur, quod quidem facile lar-
gimur, loco Generis Corpus fossile collocari posse, licet addu-
bitemus. Non enim singula imis e terrae recessibus effo-
diantur, uerum si ad rem consistimus, foetum in utero, a-
quae guttulas decedentes, aliaque concreta, quae terra nuspi-
am defossa tuetur, Lapides examussum aemulari, uidemus.

§. 2. DEVM statuimus esse causam efficientem horum effectuum principalem, mediate, uidelicet per causas secundas, operantem. Neutiquam igitur opinioni *Platonis*, *Pythagorae*, *Plutarchi*, *Senecae*, aliorumque recentiorum, actiones, atque motus ad unum omnes soli DEO, creaturis nihil tribuentium, subscribimus. Neque, Diabolum concessam sibi tenere uirtutem substantias uel nouas efficiendi, uel effectas immutandi, arbitramur. Quod enim *Μυριοτέχνης* ille sagas hinc in feles, hinc alia in corpora transfiguret, istud certe in fabulis anilibus primum meretur locum. Dolo malo singula fiunt, facietis fabricis, doctisque fraudibus glaucoma ob oculos obijcit, quae credulorum fides omnino respuit.

Aphorismus II.

Corpora partim de Viuentibus, partim de Non- uiuentibus, Lapidis ad imaginem induruisse, usus, atque experientia loquuntur.

§. 1. Multa circumferuntur *fabulis* inuoluta, inter quae non ultimum sibi uendicant locum *Metamorphoses Ouidianae*. Praecipuae mentionem injicit Poëtarum facile princeps *Homerus* *Iliad. Ραψ. Ω. p. m. 881.* super *Niobe*, prae magnitudine doloris ex enecatis liberis hausta, in statuum lapideam conuersa, occupatus. Verba iucunditatis ergo subjungam:

Καὶ γὰρ τ' ἠΰκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτῃ,
 Τῇ πέρ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο,
 Ἐξ μὲν θυγατέρες, ἔξ δ' υἱεὲς ἠδῶοιτες,
 Τοὺς μὲν Ἀπόλλων πέφεν ἀπ' ἀργυρέοιο βιοῖο
 Χωόμενος Νιόβη, τὰς δ' ἄρτεμις ἰοχέαιρα,
 Οὐνεκ' ἄρα λητοῖ ἰσάσμετο καλλιπαρήῃ

Φῆ

Φῆ δ' αἰὼν τεκέειν, ἢ δ' αὐτὴ γείνατο πολλούς.
 Τῷ δ' ἄρα καὶ δ' αἰὼν πέρ' ἔοντ' ἀπὸ πάντας ὄλεσαν
 Οἱ μὲν ἄρ' ἐννήμαρ κέατ' ἐν Φόνῳ, εἰδέ τις ἦεν
 Κατθάψαι λαούς δὲ λίθους ποίησε Κρονίων.
 Τούς δ' ἄρα τῆ δεκάτῃ θάψαν θεοὶ ἑβραϊάνες.
 Ἡ δ' ἄρα σίτου μίσησάτ' ἐπεὶ, κάμε δακρυχέεσσα.
 Νῦν δέ που ἐν πέτρῃσιν, ἐν ἕρσειν οἰοπόλοισιν,
 Ἐν Σιπύλῳ ὅθι Φασὶ θεάων ἔμμεναι εὐνάς
 Νυμφάων, ἀπ' ἄμφ' Αχελαΐον ἐρρίσαντο,
 Ἐνθα λίθος πέρ' ἔσσα θεῶν ἐκ κήδεα πέσσι.

Concinne Propertius Lib. II. Eleg. XXI.

Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba

Sollicito lacrymas depluit e Sipylo.

Repetit Paus. in Attic. c. XIX. Ταίην τὴν Νιόβην καὶ αὐ-
 λὸς εἶδον ἀνελεθῶν εἰς τὸν Σίπυλον τὸ ὄρος. ἡ δὲ πλησίον
 μὲν πέτρα καὶ κρημνός ἐστιν, εἰδὲν παρὼντι χῆμα, πα-
 ρεχόμενος γυναικός, ἕτε ἄλλως, ἕτε πενθῆσης. Ἐι-
 δεγε πορρωτέρω γένοιο, δέδακρυμένην δόξεις ἄρᾳ καὶ
 κατηφῆ γυναῖκα. Epitaphium plane aenigmaticum, te-
 stante uiro doctissimo, Agath. Scholast. Smyrn. attigit.

Ὁ τύμφος ἕτος ἔνδον ἐκ ἔχει νεκρόν.

Ὁ νεκρός ἕτος ἐκτός ἐκ ἔχει τάφον

Ἀλλ' αὐτὸς αὐτῆ νεκρός ἐστὶ καὶ τάφος.

Neque de fabula reticuerunt *Ælian*. Lib. XII. ποιητῆς ἱστορίας
 Cap. XXXVI. p. m. 324. *Seneca* in *Medea* v. 955. *Gellius*, *Apol-*
lod. *Strabo*, *Plinius*, alii. Optime in fabulam commentatur
Quidius, perbelle scribens:

Orba refedit

Exanimis inter natos, natusque, uirumque,

Dirigitque malis: Nullos mouet aura capillos;
 Inultu color est sine sanguine; lumina moestis
 Stant immota genis, nihil est in imagine uiuum.
 Ipsa quoque interius cum duro lingua palato
 Congelat, et uenae desistunt posse moueri.
 Nec flecti ceruix, nec brachia reddere gestus,
 Nec pes ire potest; Intra quoque uiscera saxum est:
 Flet tamen, et ualidi circumdata turbine uenti
 In patriam rapt a est, ubi fixa cacumine montis
 Liquitur; et lacrymis etiam nunc marmora manant.

Prae ceteris fabula de Cecropis Athenarum Regis filia, quae Aglauros denominata ad simulacrum Lapidis constitit, oblectamentum legentibus affert. Missis igitur Lib. IV. Fab. XIV. Lib. V. Fab. I. Lib. VI. Fab. VIII. ceterisque, in medium adduxisse sequentem, mihi sufficiat:

At illi
 Surgere conanti partes, quascunque sedendo
 Flectimus, ignaua nequeunt grauitate moueri.
 Illa quidem pugnat recto se tollere trunco:
 Sed genuum iunctura riget, frigusque per ungues
 Labitur, et pallent, amisso sanguine, uenae.
 Utque malum late solet immedicabile cancer
 Serpere, et illaesas uitiatas addere partes:
 Sic lethalis hyems paulatim in pectora uonit,
 Vitalesque uias, et respiramina clausit.
 Nec conata loqui est; nec, si conata fuisset,
 Vocis habebat iter: Saxum jam colla tenebat,
 Oraque duruerant, signumque exangue sedebat;
 Nec lapis albus erat: Sua mens infecerat illam.

§. 2. Ab haecenus recensitis non multum abluunt relationes de integris pagis, una cum incolis, subito ab aura quadam

dam petrifica in Lapides commutatis, quibus de conferrī possunt Kircherus, Camerarius, Auentinus. Mercator quidam Anglicanus, qui, testante B. D. Schelwig. A. 1648. interiora Mauritaniae perreptaui Itin. idiomate suo contexto, postea uero germanice translato sub Tit. *Asiatische und Africani-sche Denkwürdigkeiten dieser Zeit* p. 402. seq. in prato quodam Tezrimensi uiri cum asino coeuntis formam lapideam sibi uidisse tribuit, quae uernos, artus, oculos et cetera membra in totum mira similitudine exscripterint. Mox subdit: *Urbem in montibus Gubel consistere, in qua domus, homines, bruta, arbores, muri, infantes in cunis uagientes, uir uxorem plagis exercens, et alia in Lapides conuersa conspicerentur, quae non tantum sublestae fidei, uerum etiam ex parte perridicula esse, uidentur.*

S. 3. Corpora humana consistentiam subire posse, neque usus et experientia, neque corporis natura reclamat. Minime tamen gentium cum illis faciam, qui mysteria despiciatui habentes, uxorem Loti in מלך נדיב h. e. *statuam salis* naturaliter abiisse, posthabita religione, pessime sentiunt. Ego, num germana uisa fuerit Iosepho, Adrichomio, aliisque non inquiram, nec, circa miracula quid obseruandum, discutiam: Cum enim diuinae potentiae specimen sit, non uulgare, non quotidianum, sed miraculosum, Theologis explanandum relinquo, optime rationem ducens, si sanctius esse, quam ut hic euoluatur, existimem. Ne uero longius labi uidear, intelligo, quod, corpora humana in duritiam conuerti posse, Physici tantum non omnes sint admissuri. Bissel. in *Argonaut.* Americ. hac occasione dilabatur ad historiam, quam nuper repetiit B. Schelwig. erudite scribens, *Didacum Almagrum Hispanum in America Meridionali e Peruvia in Chilam abeuntem, magnam de copiis suis partem ardore frigoris,*

pe-

pestiferaque aura perdidisse, eandemq; loca repetentem, Lapidis instar duratam, decoctamque reperiisse; itidem mulierem in Burgundia, obsepto utero, foetum totis 28 annis gestasse, post mortem infantem lapideum, durissimo quasi e marmore ductum, extractum fuisse. *Museum Veronense Sect. III. p. 417. pedis humani* in Lapidem transformati, mentionem facit, item *humani genu* perbelle rotulas, musculos denique omnes, et officula ipsius membri repraesentantis. In primis ossa lapidescere, nullus ibit inficias, in quibus rara sunt, quae magnitudinem, alias suetam, excedunt, a *Gigantibus*, sicuti uulgo creditur, originem tracta. Quibusdam e terra *margacea* (*Merget*) uidentur compacta; aliis uero pro germanis hominum ossibus uenduntur. De cetero uel plane non obriguerunt, aut, si petrefactionem subiere, uel pars durata conspicitur, uel uestigia saltem naturalis ossis supermanserunt. Quod ad margam, (*Merget*) est terra quaedam ex pinguedine soli durata, qua ad agros stercorendos utuntur rustici. In insula *Samo* similis marga terrae *Samiae* nomen accepit, alias *marga Saxatilis*, seu *medulla Saxorum* dicitur. Quod ab aëre indurescat, nemo diffiteri potest, *uid. Valent. Natural. und Material. Kammer von denen Mineralien und Metallen p. 4. et D. Major. peculi. Tract. von dem Steinmarck.* Neque, *Gigantum ossa* superesse, uenit in dubium. *Celeb. Wagner. in Hist. Nat. Helvet. Curios. p. 146.* exemplum hominis adducit immensae molis, *Theutobochi*, Regis *Tigurinorum*, *Cimbrorum*, atque *Theutonum*, quem *Florus Lib. III. Cap. III. insigne spectaculum*, uirum proceritatis eximiae, *supra trophaea ipsa eminentem salutat.* Tumulus, cui nomen *Theutobochi* incisum, A. 1613. ad castrum *Langon*, oppidum *Delphinatus* inuentus est. Longitudo tumuli plus minus XXX pedum fuit: Ossa longitudinem XXV. pedum superarunt. In primis monstrosi dentes bouis bimuli pedem aemul-

aemulati dicuntur, *uid. Iacob. Tissot. pecul. Tract. de Hoc In-
uento et D. Chifflet. Pefont. P. I. C. 47.* Ejusmodi hominum
ossa A. 1567. ad pagum *Reyden Dition. Lucern.* tempestate quer-
cu antiqua euerfa, reperta sunt, testantibus *Wolffarto in
Inuent. Hanoic. Kircher. Mund. Subter. T. II. L. VIII. C. 4. Cy-
satus in Descript. Lacus Lucern. C. XXVII. p. 106. Lambecius
in Biblioth. Vindob. Lib. VI. p. 313. Woodwardus in Geographia
Phyf. p. 63. feqq. uid. Strauff. de Foetu Mussipont. Helmont. aliique.*

§. 4. Sequuntur *Bruta* rigidissimam in consistentiam
ad imaginem saxi compacta, quorum uel tota machina in
Lapidem degenerauit, uel tantum pars insigniter mutata fuit.
Mus. Veron. l. c. uaria specimina sistit, utpote *Stellam*, piscem
marinum, radiis ad modum sideris alicujus fulminantem,
nomine idcirco *Stellae marinae Meerstern / Sternfisch / insi-
gnitum*; *Arietis caput integrum cornibus, fronte, auribus, ma-
xillis et mento barbato*, mire lusitante natura, in petram ela-
boratum; *Anguillam integram*; item *Rbombum*, qui, siaculea-
tus ein *Tar / oder Dornbutten / silaeuis, ein Meerbutten*
uocari consueuit. His animalibus duritiem passis prae pri-
mis accedunt *Conchae*, partim in *Mus. Veron.* partim apud *Va-
lentin. in der Natural- und Material- Kammer /* alibique
depictae. Iucunditatis ergo de *Conchitis* faciam uerba. La-
pis, graece *ἡ λίθος κοχυλίτης* denominatus, *Conchas* non similitu-
dine quacunque repraesentat, uerum naturales totas exscri-
bit, nunc *univaluem*, nunc *bivaluem*, *auritam*, *umbilicalem*,
bucarditam, quales mare frequens in littora exponit. Multae,
quemadmodum *celeb. Wolffart.* ostendit, reperiuntur ad
Moguntiam, qui lapis ex cochleis quasi majoribus, atque mi-
nutissimis coagulatus cernitur, ita, ut quaedam nondum in
petram mutatae Lapidi inhaereant. In *tractu Idsteinensi*, pro-
pe arcem ruinosam *Adolphs-Ed /* nec non in *Lapidicina Ber-
gensi* similes elaborantur, tum etiam in *ditione Isenburgo-Bir-
steinensi*, ad pagum *Langendiebach.* Saepe numero nigri-

cant, frequentissime colorem cinereum de se spargunt. Inuolutae cernuntur huic Lapidi *Conchae bivalues, oblongae, nudae*, doppelte / glatte und länglichte Muschel-Steine. vid. *Mus. Hassniense* p. 38. Cum his diebus alio labori implicatus *Olearii Itiner.* perlustrarem, casu fortuito in der *Perf. Reise-Beschreibung* L. VI. C. XIII. p. 728. subsequencia ob oculos objiciebantur mihi uerba: Bey Targu sind Felsen/ welche wie lauter zusammen gesetzte Muscheln anzusehen/ so in Form derer seynd / so die See allda auswirfft / alle einer Ball-Musch groß zusammen gebacken / in denen mann etliche ganze findet / und zwaren nicht einzelen / denn kein Stück / als eine Faust groß / indem nicht fünf / oder mehr Schalen können gezehlet werden / und ist der Stein so hart als Kieß. Similem in modum ludunt *Ostrea*. *Ostreum*, Graecis ὄστρεον, sine ὄστρεον genus est aquatile, testa duriori contextum, uariasque in species se diffundens: *Ostern / Austern / Meerschnecken /* quale cum integumento arctius condensatum saepius inuenitur, et ἡ λίθος ὄστρεοῦ *Dioscoridi*, *Plinio*, nec non *Recentioribus*, vulgo der *Topffstein / Topfstein* appellatur, cujus magnam copiam despuunt maria. Praesertim *Heluetia* de his mirabilibus ob ossaea juga, quibus non infrequentia inhaerent, sibi gaudere potest. Notanter *Schenzer*. p. 89. Wenn er auf den obersten Bergförsten unsrer Lande ansiehet ganze Felsen / die von lauter zerbrochenen / auf einander gehäuften / und in Stein verwandelten Meer-Muscheln und Schnecken zusammen gesetzet seynd. His *aliae species Concharum accensendae* sunt, utpote *Strombi*, quos inter insigniores *Strabelli*, *Gesnero* *Strauben / Schnecken / Straubhorn / Spitzeringhörner / schmale / länglichte und gespizte Schnecken*; *Murices* *Stachel-Schalen / uel Stachel-Schnecken*; *Pectuncul*, atque sic amplius. Huc pertinent *Echini* *Lapidis ad formam indurati*, *Echini arum* titulo insigniti, una cum aliis

aliis rebus, quas copioseprehendimus apud citatos auctores.

§. 5. Hunc in locum reducimus *Cornua*, quae natura saepius sine discrimine animantis in petras transire iussit. Fidem faciunt *Celeb. Valentin. Scheuzer.* ac uniuersim omnes rerum naturalium aequi censores. *Unicornu* tamen, eruditos inter, unde traxerit originem, multam uenit in disceptationem. Quidam id, quod uulgo *unicornis* nomine effertur, *dentem esse piscis*, Gallis *Robart*, Septentrionalis maris accolis *Morsf* appellati, opinantur, uid. *Bellon. L. I. C. 14. Aldrouand. de Quadruped. L. I. C. 6.* Alii *Cornua* ex ossibus per artem ducta uolunt, quam sententiam explicuit *Paraeus de Monocer. L. XXI. C. 47.* Alii *Cornu* ablatum putant a *Xiphia*, pisce marino, *Schwerdfisch / Hornfisch*. Effigiem sistit *Tulpius L. IV. Obs. 59.* teste *Magnif. D. D. Vatero, in Phys. p. 779.* Praeceptore, quem honoris, dignitatis, auctoritatisque ergo nominatum uolo. Alii uaria bruta *μονοκέρατα* sibi uidisse gloriantur, utpote *Syluestros asinos, asinos Indicos unicornes*, uid. *Dalechamp. ad Plin. L. VIII. 21. et XI. 27. Scalig. Exercit. 205. Iouius, Bellon. Ionston, Garc. ab Horto*, una cum aliis. Nec desunt, qui, deposita de manibus aliorum sententia, *Monocerotem* neminem, nisi *Rhinocerotem* esse, arbitrantur. De *Rhinoc.* significauit olim *Mart. L. de Spect. Epig. 22.* foras contra taurum et ursum in arenam educto:

*Namque grauem gemino cornu sic extulit ursum,
Iactat ut impositas taurus in astra pilas.*

De cetero, dari *Monocerotem*, neuiquam ibimus inficias, siquidem illius mentionem facit *Scriptura S.* ubi in fontibus occurrit *ראם* et *רים* aradice *רום* altum, elatum esse, quoniam bestia altis in montibus subsistere soeuit. *LXX. senes* uertunt *μονοκέρας, ἀπὸ τοῦ ἑνὸς κέρατος.* *Luther. Einhorn / Persus* *כרר* *Kerck*, quae uox a *Lud. de Dieu* exponitur: *Magnum animal, quod in India reperitur, juxta frontem insigni cornu munitum*



ac tanti roboris, ut cornu Elephantem attollat, ac, donec illi diffuatur pinguedo, sustineat, quae, si cui uolupte sit, ulterius indagare, peracta uid. ap. *Venet. Lib. III. C. 5. Hier. Lusit. in Descript. Aethiop. C. 25. Barthol. in Tract. de Unicornu.* Haec eo in medium attuli, quo facilius, Cornua in Lapidem uersa, nunc de Monocerote, nunc de piscibus, nunc aliis de bratis ueronegatois ablata fuisse, intelligamus. Specimina licet nobis nulla fuerint uisa, testes tamen oculatos substituere nouimus. Prae ceteris *Deusng. in Diss. de Unic. 39.* eleganter scribit, cuius uerba notari merentur: *Reperiuntur, inquit, etiam Cornua fossilia, similitudinem externam Cornu, at lapideam potius naturam obtinentia, quae pro Unicornibus uenduntur. Cum uallo, ac munimentis cingeretur Orsouia, ex ipsa fossa eruta sunt tria ejusmodi Cornua, sesquicubitalia circiter, quae a militibus, ac operariis diffracta sunt, ac inter uarios distributa. In paludosis, prope Goudam, locis simile Cornu a rustico fossore olim inuentum, ac tenui pretio mercatori cuidam uenditum. Similiter aliquando in patria mea, in Comitatu Moersensi, non longe a Rheni ripa, simile cornu a rustico quodam erutum: Simileque, prope Velasiam, juxta Lippam, fluiuium, inter fodientium inuentum A. 1622. Prope hanc nostram Groningam, in't Groninger Diep, ante plures annos elegans ejusmodi Cornu fossile repertum esse, ac diuenditum alicui Canonico, qui sibi e parte crassiore torno poculum concinnari curarit, ex Priu. Obseru. D. Brinckii notauit etc. Idem l. c. 41. pergit: Haud absimilis substantiae fuisse reor Placentam illam ex Unicornu fuso, quae inter rariora Paludani Enchusae conspicienda fuit, ex donatione Seren. Elect. Brand. figuris quibusdam impressis ornata, cum hac inscriptione:*

Mein Anfang hat die Erd gebracht /
 Ich bin aus Blut und Fleisch gemacht /
 Ein todt Bein war ich lange Zeit /
 Nun lehrt man erst mein Herrligkeit.

§. 6. Sequuntur *Lithodendra*, uel etiam *Dendritae*, quorsum omne referimus, quod e regno uegetabili in mineram Lapidis abiuit. *Celeb. D. D. Loescher. Prof. Phys. lignum*, quo natura perbelle ludit, possidet. Longitudine duos dodrantes, latitudine spithamam unam plus minus aequat, non usque adeo spissum, lignum quoque fuisse, suspiceris, nisi rudera quaedam relicta conspicerentur. *Celeb. Wolffart. l. c. Truncum lapideum in Comit. Isenb. VVechterbac. in den so genannten Raben-Wald / und den Wittgenborner Weyer nicht weit von dem dahero also benannten Weyerhoff / repertū fuisse, annotauit, ac rusticis Steinern Hayn Buchen-Holz uocari, subiecit. Scheuz. l. c. scribit: In vielen Mosachten sumpftichten Orten / wenn mann 3. oder 4. Schuh tieff gräbet / findet mann ganze Lagen Holz / in der Wiesen genannt Keller in dem Waltikummer Ried / in dem Kreuzelen / Moos und Moos-Acker / auf dem Hürzel Züricher Gebiets / und andern dergleichen Orten. Hanc in classē reponimus *herbas, flores, gramina, fungos*, illisque non absimilia, quorum fit mentio apud *Chiocum, Valent. Deusing. et plures alios.**

§. 7. Antequam ulterius progrediar, ut aliquid oblectamenti ex rerum uarietate Lapidis instar concretarum, innectam, nonnulla de *Coralis* subiicienda duxi. *Coralium*, item *Curalium*, dicitur quasi τῆ ἡερᾶ ἀλοτὸν, quidam ut existimant, i. e. *conspira et praeseptione captum*. Hac enim piscandi arte ex aquis educitur. Alii contra petitem uolunt ἀπὸ τῆς κόρης καὶ ἀλῶς, quasi sit *pupilla maris*, uel ἀπὸ τῆς κόρης, et Iones juxta ἡερῆς, a uirgine, siquidem puellae cum primis lineas *Coraliorum* gestant, quae duae sententiae rei propius, quam prior, accedunt. *Dioscor. Plinius*, alique λιθόδενδρον κατ' ἐξέχην appellat. Notanter hic fabulam agit *Ouid*. Perseus, inquit, uirgulas lectas in littore sub-

jecit, quae induruerunt ita, ut, adeptis radicibus, sanguinei coloris sub undis ut arbusculae succrescerent, nomenque caperent Corallium, VL. IV. F. 18.

*Mollit humum foliis, natasque sub aequore uirgas
Sternit, et imponit Phorcynidos ora Medusae.*

Virga recens, bibulaque etiam nunc uina medulla

Vim rapuit monstri, tactuque induruit hujus,

Percepitque nouum ramis & fronde rigorem.

At Pelagi Nymphae factum mirabile tentant

Pluribus in uirgis, et idem contingere gaudent.

Seminaque ex illis ut erant iactata per undas.

Nunc quoque Corallis eadem natura remansit.

Duritiam tacto capiant ut ab aëre, quodque

Vimen in aequore erat, fiat super aequora saxum.

Ceterum tres dantur Coralliorum species. Nunc enim albedine, nunc colore rufo se distinguunt, nunc subnigricant. Sub undis existere uegeta, et ad modum arboris enasci, e fibris, porulis, uesculis, succo nutritio, aliisque constat. Ejusmodi autem uegetabile sub aquis delitescens haud raro saxi naturam inducit, si per undas peregrinantibus habenda fides. Frequentissime tamen aëri expositum indurescit, Onidio quod jam innotuit ita L. XV. F. 41. scribenti:

Sic et Corallium, quo primum contigit auras

Tempore durefcit: mollis fuit herba sub undis.

Aphorismus III.

Petrefactio non perficitur a Principio quodam immateriali, aut a Virtute quadam occulta subterranea,

(verborquer unterirdischen Natur - Krafft)

sede causis naturalibus, ut adeo Petrefactio peragatur modo naturali.

§. I. Petrefactio a Concretionem fusius in prima Diss. discussa non multum differt. Partes enim lapideae, bituminosae,

nosae, metallicae, arenaceae, aliaeque terris strata et dispersa corpora inducunt, inducta penetrant, penetrata subigunt se poros intra deponentes, ablatis denique humiditatibus, ceterisque factis mutationibus, perficiunt, ut uelint, nolint, decoquantur, absumentur et soliditatem capiant.

§. 2. In primis multum ad duritiem subeundam faciunt fontes et aquae lapidifcae, quae corpus uel crusta inducunt externa, uel corpori intimius immiscentur, quales in Gallia, Italia, Hispania, Hungaria, alibique Creator large disseminauit. Flumen ejusmodi fuisse apud Ciconas in Thracia gentes, annotauit Ouid. Lib. XV. fab. XVII.

Flumen habent Cicones, quod potum Saxea reddit

Viscera, quod tactis inducit marmora rebus.

Jo. Morton de Lapidif. fontibus triplex aquarum illarum genus existere statuit. (1) Quando destillant aquae statim ab aura indurescant. (2) Quando aqua crusta lapidea corpus aliud inuoluat. (3) Quando Corporum intima aquam admittentium lapidosa materia repleat, quod sibi nondum apparuisse fateretur. Annecto, quod partes gummosae, ac glutinosae et ad condensationem habiles hinc in Saxetis manent, hinc ex arboribus, hinc imis e terrae recessibus non modo profluant, uerum etiam ab aëre tactae duritiem patiantur.

Aphorismus IV.

Loca, quibus Corpora Lapidis ad effigiem concreuerunt, uaria dantur, neque ullam excipisse prouinciam, arbitramur.

§. 1. Quanquam dentur Regiones, quibus aut rarissime, aut nunquam reperiantur, defecto tamen non semper a terris, uerum ab ipsis hominibus, qui aliis laboribus implicati cryptas, montes, atque saxeta uisitare non possunt, petendus est. Singula enim fortuito in lucem protrahuntur, sicut ipse, paucis ante annis, in patria, cum polypodium eradere uellem, in pe-


tris

tris mire natura ludentibus, *Vrnas* detexi. *Descript.* repetito nuper abs me loco, in *Miscell.* depositam, subjungo: Es werden diese hohe Felsen ohnweit Görlich bey denen Dörffern Königshayn/ Kengersdorff und Wiese angetroffen. Insgemein gehet die Rede / als ob daselbst ein Heydn. König residirt / und bey diesen Felsen seinen Hayn/ oder besondern Wald. Götzen gehabt habe/ davon der Ort Königshayn genennet worden. Unter diesen Felsen ist der erste merckwürdig / so wohl wegen seiner Höhe/ und grossen Steinen / so schichtweise aufeinander liegen / als auch in Ansehung der darauf befindlichen Vrnas/ von welchen er vor langer Zeit der Todten-Stein genennet worden / obzwar Niemand zeithero gewußt/ daß Vrnas daselbst vorhanden/ wiewohl hieraus zu schlüssen/ es müsse denen Vorfahren bekand gewesen seyn. Mitten in den Felsen zeigt sich ein überaus artiger Durchgang/ daß man sonder Müh/ jedoch nur Seitwärts/ hinauf kommen kan. Mann findet aber nicht allein Vrnas lacrymales, sondern auch andre / in welchen die Gebeine und Asche conferrirt worden. Vornehmlich werden viel Menschen-Beine angetroffen/ die mit dem Steine/ *Osteocolla* genant/ nicht müssen confundiret werden. Als ich neulich den Ort besuchte: So fand ich im Durchgange/ wie auch unten neben den Felsen/ von den gebachten Vrnas einige Merckmahle. Hactenus von dem Todten-Stein.

§. 2. Praesertim *montes*, atque *Saxeta*, his sibi gaudent Phae-nomenis. Quaeritur autem, qui fieri potuerit, ut arbores, aues, pisces, alia montibus etiam in excelsis intra faxa lapidescant, nec non in cryptis submersa concreta effodiantur? Varias, in sententias Eruditorum animi distrahantur. Ego breuitati studens apud me statutum uolo, Corpora delata fuisse per *Diluuium*, s. *uniuersale*, s. *particulare*, *terrae motus*, *brua*, *fluuios* arbores, ligna, ceteraque secum abri-pientes, atque sic amplius. De *Ligno fossili* u. *Schewz.* l. c. Von dergleichen Unterirdischen Holz finden sich vielerhand Meinungen. Viele wollen / es wachse also in der Erden / andere / daß es dorthin geschwemmet werde / durch große Wasser-Güsse/ da Sand / Stein und Erden übereinander gehauffet / und etwan Bäume und Stauden darunter vergraben worden; andere / daß an dergleichen Orten die Bäume von starcken Winden umgeworffen würden/ oder ein ganzer Wald in tiefen Morast versinke: Wiederum andere halten es vor eine Würckung eines Erdbebens/ durch welches ein Stück Landes eingesunken. Endlich sind nicht wenig gelehrte in der Meinung/ daß diese Begebenheit mehrmalen herzuzeiten sey von der Sündfluth selbst. Tantum.

Quae hic apponi nequiverunt, alio tempore persequar.





Q. D. B. V.
DISSERTATIONEM PHYSICAM
AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS REGII
DOMINI
DN. FRIDERICI AVGVSTI
ELECTORATVS SAXONICI HEREDIS
ETC. ETC.
AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORVM
CONNIVENTE
DE
**VARIIS CORPORIBVS
PETREFACTIS**
ERVDITORVM ΖΗΤΗΣΕΙ
P. E. E.
PRAESES
M. SAM. FRIDERICVS BVCHER
ET RESPONDENS
MARTINVS Gottlob BVCHER
S. S. THEOL. STVD.
FRATRES GERMANI
VTERQVE
RENGERSD. AD GORLICIVM LVSAT.
DIE X. AVGVSTI A. R. S. MDCCXV.

VITEMBERGAE IN SAXONIBVS
LITERIS HORNIANIS.